

## Serie Generale 81

(ST) Anno Domini millesimo ducentesimo .XXXIIII., indictione discreto domino Willelmo Francigine Montiscalerii potestas probitatis munere commendato Abbas de Castello et Segnorinus Balbus pro se et aliis consulibus Cariii salutem et omne bonum. Vobis per hoc publicum instrumentum facimus manifestum quod vestris captis manulevatis usque ad .XV. dies proxime completos terminum prorogamus et volumus interim quod alii capti non manulevati et nostri et vestri debeant manulevari ad congruas manulevationes. Unde vobis rogando mandamus quatinus terminum .XV. dierum nostris manulevatis dignemini exhibere, scientes quod cotidie parati sumus vestras manulevaciones recipere competentes pro vestris captis qui in Carihensi carcere detinentur et quicquid super his facere volueritis nobis latore presencium rescribatis.

(ST) Interfuerunt rogati testes Iacobus Dodolus et Oddo de Gayano et Iacobus de Ripa. Ego Petrus Caballus publicus notarius interfui et rogatus scripsi.